



**Illustrissimi Marchionis Scipionis Maffei Historia
Theologica Dogmatum Et Opinionum De Divina Gratia,
Libero Arbitrio Et Prædestinatione**

Maffei, Scipione

Francofurti ad Mœnum & Moguntiae, 1756

Liber X. Continuatur corpus Doctrinae Augustinianæ; & inquiritur, quænam fuerit ejus sententia de Prædestinatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95061](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95061)

proinde mille locis ab ipso profertur, ac disputatur. Nec subeat mirari, nullam nos mentionem fecisse quarundam vocum hodie communissimarum, ac proinde nec divisionis illius, quæ nostrâ ætate frequentissima est. Cum enim his adhibendis atque inducendis causam dederint recentiores hæretici; ita inter Augustini effata, aliæque Veterum monumenta recenseri non poterant à nobis; quippe qui non doctrinas tantum, sed et vocabula, & conceptissima ipsorum verba summâ semper religione attulimus. Præcipua S. Augustini divisio, quemadmodum observare sæpe licuit, fuit in prævenientem, quam etiam operantem vocat, vel excitantem; & subsequentem, quam & cooperantem, & adjuvantem appellat. Scribit in Enchiridio: ¹ *Utrumque legitur in Sanctis eloquiis: & misericordia ejus præveniet me, & misericordia ejus subsequetur me. Nolentem prævenit, ut velit, volentem subsequetur, ne frustra velit; sed opus perficiat. Hinc gratia voluntatem præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam. Hoc præstat juxta ipsum præveniens, ut incipiamus; & subsequens, ut perficiamus.* ² Illa ³ cooperando perficit, quod operando incipit, quoniam ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperetur perficiens. Converti nisi ipsa excitante, quæ est prima gratia, & adjuvante, quæ est secunda, non

possimus. ⁴ S. Thomas Augustini insistens vestigiis: sicut gratia, inquit, dividitur in operantem, & cooperantem secundum diversos effectus, ita etiam in prævenientem, & consequentem. Ecclesia Deo supplicat, ut actiones nostras inspirando præveniat, & adjuvando prosequatur. Videtur etiam Augustinus divisisse eam in generalem, & specialem. Postquam enim scripserat in libris suis, gratiam consistere in peccatorum condonatione, & pacem in conciliatione cum Deo, advertit in retractationibus, non sic ⁵ id accipiendum, ac si pax ipsa, & reconciliatio non pertineat ad gratiam generalem; sed quod ibi remissionem peccatorum specialem quandam gratiam esse significaverit. Cæterum quæstiones minùs necessariae etiam antiquis temporibus sæpe excitatæ fuerunt, de quibus affirmare licet cum Celestino Papa: ⁶ *Profundiores verò, difficilioreque partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut nec audemus contemnere; ita non necesse habemus adstruere; utpote ad doctrinam de gratiâ non necessaria. Duo adhuc nobis reliqua sunt capita ut totum Augustini pertexamus systema. Quæ cum prolixiora sint, quàm ut breviter expediri possint, ne liber hic in nimiam molem excrescat, ad sequentem ea conjicere videtur consultius.*

(1) Enchir. c. 32. (2) Ad Bonif. l. 2. n. 21. Ut incipiamus, dictum est: præveniet me; ut perficiamus, dictum est, subsequetur me. (3) de Gr. & lib. Arb. n. 33. & de pecc. mer. l. 2. n. 31. (4) S. Th. 1. 2. qu. 3. art. 3. (5) Retr. l. 1. c. 24. n. 2. & c. 25. (6) Celest. Epist. 21, n. 15.

LIBRINI FINIS.

HISTORIÆ THEOLOGICÆ

LIBER X.

Continuatur corpus Doctrinæ Augustinianæ, & inquiritur quænam ejus fuerit sententia de Prædestinatione.

Prædestinationis notio, & divisio.

ARGUMENTUM hoc versare nolumus, nisi præmissis quibusdam notitiis. Prædestinatio, seu prævia dispositio significare potest omnem ideam, omnem destinationem factam in antecessum. In rem nostram Augustinus: ¹ *In sua quæ falli, mutarique non potest, præscientiâ, opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam est prædestinare.* A generico hoc prædestinationis significatu manavit mos, loquendi quandoque etiam ² de illo genere hominum, quod prædestinatum est ad interitum, à voluntariis nimirum ipsorum delictis ad supplicium. Propriè tamen accepta dicitur præscientiâ, & præparatio beneficiorum Dei. Porro quemadmodum Dei beneficia diversa sunt, ita & diversa non raro in considerationem venit Prædestinatio. Principem inter hæc locum teneri fides cum gratiâ, quam secum adfert, &

(1) De don. perferv. n. 45. (2) de perf. just. c. 13.

eternæ gloriæ concessio. Hæc autem beneficia cum diversa sint; & separabilia, ita, ut plurimi unum, non item aliud consequantur, consequens est, diversas etiam esse, atque separabiles, in illis saltem hominibus, huiusmodi prædestinationes. Veteres tamen de iis promiscuè potissimum locuti fuere, quasi de unâ, eademque re: Cùm enim natæ nondum essent controversiæ, quæ cogerent prædestinationem ad gloriam disjungere ab eâ, quæ est ad fidem, de utraq; sæpe loquebantur in cumulo, ut dicitur. Ad intelligenda autem rectè Patris nostri dogmata, differere de iis prius oportet cum distinctione.

2. IMMO præprimis opus est diligenter observare, quomodo duo ipse reapse admiserit prædestinationum genera; quarum altera vocari potest incompleta, & est ad gratiam fidei; altera, quæ finalem perseverantiam, & gloriam complectitur. In illum locum Joannis: *Non erant ex nobis: nam si fuissent, mansissent utique nobiscum, ita dissentiunt: Quid est queso hoc?.... Nonne utrique vocati fuerant, & vocantem secuti, utrique ex impiis iustificati, & per lavacrum regenerationis utrique renovati?.... Veruntamen secundum aliam quandam discretionem non erant ex nobis.* Erant iustificati, ait Augustinus, sed destinati non fuerunt, ut essent inter fideles illos distinctos per electionem, quæ secum adfert perseverantiam finalem. Hanc vocat ipse *aliam discretionem*, id est diversam, seu quod eodem recidit, *aliam prædestinationem*. In Novo Testamento sæpe dicuntur electi omnes illi, qui fidem obtinuerant, qui certè non omnes electi erant ad Cælum. Dixit Servator: *Nonno egovos duodecim elegi?* & tamen unus illorum fuit Judas. Scripsit Augustinus in Joannem: *Si jam credentes elegit, electos elegit.* Igitur electionis nomine, quæ tantundem valet, ac prædestinatio, inte ligat tum ipse eam, quæ est ad fidem. Quis hæc de re possit ambigere, cùm de hoc ipso potissimum disputaverit, scripseritque?

Prædestinatio ad fidem est gratuita.

3. ATQUE ut ad ejus sententiam veniamus, nos jamtum intelligimus, censuisse ipsum hanc prædestinationem esse merè gratuitam, quemadmodum merè gratuitum prædicavit donum ipsius fidei. Tractatus ipsius de prædestinatione id spectat potissimum, ut evincat prædestinationem omnino esse gratuitam. Quod id intelligat de prædestinatione ad fidem, manifestum est; quia id scripsit adversus Semipelagianos, contententes, principium fidei, & bonæ voluntatis à solo homine prove-

nire. Quamobrem ostendit hominem non esse primum authorem suæ fidei, sed cùm nobis destinata sit, consequens esse, illam à Deo concedi. Sub initium Tractatus proficitur, *Prius fidem, quâ Christiani sumus, donum Dei esse se debere ostendere, & respondere jactitantibus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem; sed incrementum ejus ex Deo.* Paucis: Ostenditur hoc libro, quod elegerit Deus fideles, ut sint; non quia jam erant: quandoquidem gratuito hoc nobis confert donum. Electio hæc aliud non est, quàm prædestinatio. *Nemo ergo dicat: ideo me vocavit Deus, quia colui Deum. Quomodo coluisses, si vocatus non fuisses?.... Quis prior dedit illi?.... quomodo prædestinaveris, nisi quando non eras? quid Deo dedisti, quando qui aliquid dares, non eras?*

II. DISQUIRERE jam convenit, quæ Patris nostri mens fuerit circa prædestinationem ad gloriam. Quemadmodum prædictis temporibus de hac separatim non disceptabatur: ita non desunt, qui credant, difficile fore ejus hæc in re sententiam accuratè agnoscere. Videri possit censere quodam loco, ducere illam quidem suam originem à Divinâ misericordiâ, at fundatam simul in meritorum præscientia. Videri possit aliàs existimare, quod nullam eâ in re sibi partem vendicet præscientia. Cùm parum faciat ad rem nostram, finemque nobis propositum unine an alteri opinioni magis faveat, relaturi summâ duntaxat fide sumus momenta quibus in unam, vel alteram ipsum partem propendere possit persuaderi: non cogitantes alterutram adoptare sententiam, quanquam sumus personam eorum qui unum vel aliud acriter tuentur, omnia referendo sumpturi. Claudemus hanc disputationem demonstratione eorum, quæ hæc in materiâ extra omnem controversiam docuit, quæque ad doctrinam Catholicam & sufficiunt, & unice conducunt.

Prædestinatio ad gloriam.

2. ATQUE ut initium faciamus à rationibus, atque autoritatibus, quas proferunt, aut possunt proferre illi, qui contendunt ipsum primæ opinionis fuisse, advertunt illi primum, si admisisset prædestinationem ad gloriam antecedentem, & absolutam, abiturum ipsum fuisse à communiori Patrum anteriorum sententiâ, quorum toties se sequacem ac veneratorem professus fuit. Hallucinati fuerant Masilienses, ut suo loco vidimus; Prædestinationem unam cum aliâ permiscuentes, ex iis quæ scripserat Augustinus: De eâ tamen quæ est ad gloriam, non videntur errasse attentâ relatione D. Prosperi,

Primæ opinionis momenta.

(1) in 1. Joann. II. 19. (2) Joan. VI. 70. (3) Jo. Tr. 86. n. 2. (4) de præd. SS. n. 3. & n. in 34. (5) Sermon. 158. n. 3. (6) S. Prosp. epist. ad Aug. n. 8.

Retractatis priorum hæc de re opinionibus pene omnium par invenitur, & una sententia; quæ propositum, & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt. Atque ideo sunt, qui induci non possunt ut credant, deviare voluisse Sanctum nostrum à Majorum sententiâ: quandoquidem locutus de ipsis fuit in hunc modum: ¹ Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt, & alibi: ² Quod credunt, credo; quod tenent, teneo; quod docent, doceo. Adde, quod alia sententia non Græcorum duntaxat fuerit, ut multi dixerent; sed ad illa usque tempora omnium pariter Latinorum. S. Hilarius, quem insignem ipse vocavit Ecclesiarum Doctorem, & Ecclesiae Catholicae adversus hæreticos acerrimum defensorem, ³ scripsit: ⁴ Itaque non res indiscreti iudicii electio est; sed ex meriti delectu facta discretio est. S. Hieronymus, quem Magistrum veneratus est, & ad quem sæpe tanquam ad Catholicæ doctrinæ oraculum recurrit, asseruit, amorem, vel odium Dei ante, quàm nascantur homines ex Dei præscientiâ venire, quòd sciat quinam peccatores futuri sint, & quinam iusti. Præmium item, & supplicium decerni non ex præiudicio Dei; sed ex meritis singulorum. ⁵ Et de Esavo, & Jacobo porro inquit, ⁶ dilectio, & odium Dei vel ex præscientiâ nascitur futurorum, vel ex operibus. Loquens de mansionibus præparatis, hoc est, prædestinatis in Cælo, ⁷ Paratae, inquit, sunt in Cælo diversæ, & plurimæ mansiones plurimis, diversisque virtutibus, quas non personæ accipiunt (id est distinctione arbitraria) sed opera. Inducit porro eundem salvatorem loquentem: Frustra igitur à me petitis, quod in vobis situm est; quod Pater meus illis paravit, qui dignis virtutibus ad tantam ascensuri sunt dignitatem. Consideratione speciali dignum est, ⁸ S. Augustinum semper in Magistri loco habuisse Divum Ambrosium, à quo institutus, & ad fidem orthodoxam adductus fuerat. Nec rarò hoc ipsum nomine compellavit, quando eum nominandi se dabat occasio. Multa, diffusaque ex eò testimonia recitavit in libris contra duas epist. Pelagian. asserens deinde: nimis ⁹ longum fuisse si omnia voluisset commemorare, quæ S. Ambrosius adversus hæresin Pelagianam tanto post exortituram scripta reliquerat. Eruditi Monachi qui postremò ediderunt Ambrosium, notârunt sub præfationis finem: Fere omnium, quæ docet Augustinus,

semina reperiri apud Ambrosium; cuius illi brevius atque strictius dicta fufius dilatare, amplificareque possim consuevit. Sic notant ultimi editores Basilii ¹⁰ Ambrosium & Augustinum in omnibus ferè convenire inter se. Atqui in insigniori quodam Tractatu suo scripsit literis majusculis: ¹¹ Quia Deus personarum acceptor non est; unde & Apostolus ait: Quos præscivit, & prædestinavit: non enim ante prædestinavit, quàm præsciret; sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit. Videtur igitur saltem Augustinus si diversæ fuisset opinionis, omisurus non fuisse, adducere, & exponere, quam ob causam à communi sententiâ discessionem faceret, & ab illo etiam quem patris semper, & præceptoris loco habuit. Proferunt etiam dicta multa Patrum posterioris ævi, à quibus ita intellectum fuisse Augustinum contendunt, innitentes maxime cuidam doctrinæ traditæ ab insigni ejus interprete D. Thoma, qui, quò loco non utramque permiscet, sed destinationem ad gloriam ab alterâ discriminat, docuisse videtur provenire eam à meritorum præscientiâ; quanquam idcirco non probârit unquam, ut quis absolutè diceret, atque indefinitè, prædestinationem provenire à meritis quia hoc nomine eò tempore potissimum veniebat destinatio ad gratiam, in quâ error foret, existimare, meritis partem deberi. Verba D. Thomæ epistolam ad Rom. commentantis sunt hæc: ¹² Circa ordinem autem præscientiæ & prædestinationis dicunt quidam, quod præscientia meritorum bonorum, & malorum ratio est prædestinationis, & reprobationis Et hoc quidem rationabiliter dicebatur, si prædestinatio respiceret tantum vitam æternam, quæ datur meritis. Sed sub prædestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab æternò divinitus præparatum &c.

3. Quid? quòd ex ipso etiam Augustino multa proferuntur loca faventia prædestinationi ob merita. Hunc ille Sermone dedit servatori in die iudicii ad illos qui ad dextram collocati sunt, hoc est ad prædestinatos. ¹³ Percipite regnum, quod vobis paratum est ob origine mundi: quibus meritis? esurivi enim, & dedistis mihi manducare, & sic porro de ceteris; quò loco præparatio, id est, destinatio ad Cælum tribuitur operibus misericordiæ. Scribens in Joannem, docet, ut parentur istæ mansiones in Cælo ¹⁴ oportere vivere secundum præcepta fidei, & nascituram diversitatem præmiorum ex di-

(1) Con. Jul. l. 2. n. 34. (2) lib. 1. n. 20. (3) con. Jul. l. 1. n. 9. (4) S. Hil. in Ps. 64. n. 5. vid. epist. 166. n. 1. 167. n. 21. (5) S. Hier. in Gal. c. 1. in Isai. c. 1. (6) in Malach. c. 1. (7) Adv. Jovin. l. 2. c. 15. (8) Op. imp. l. 1. p. 892. Ambrosius Doctor meus. p. 1330. Meus est Præceptor Ambrosius, cuius non solum libros legi, sed &c. Con. Jul. l. 1. n. 10. Quem veneror, ut patrem. (9) Vid. ad Bonif. l. 4. n. 31. (10) ad S. Basil. ed. an. 1721. (11) S. Amb. de fide l. 5. c. 6. n. 23. (12) in e. 8. Rom. lect. 6. (13) Serm. 137. n. 2. (14) in Joan. Tr. 68. n. 3.

veritate meritum. Cohortatur nos ad strenuè dimicandum, quia Deus iudex est, proposuit luctum, parat coronam.¹ Præparare hic idem est, quod prædestinare, quia juxta ipsum prædestinatio² est preparatio beneficiorum Dei. Docuit itaque, destinam nobis esse gloriam tanquam à iudice ut coronam & præmium; idque inhærendo verbis Apostoli affirmantis, ³ *repositam sibi esse coronam justitiæ, quam reddet ei Dominus in illa die justus iudex*; ubi speciatim notavit Magister noster, *non dixisse eum*,⁴ *donat; sed reddet*. Scripsit in aliò librò: Deum ⁵ *per certissimam præscientiam, & justissimam beneficentiam secum regnatos in vitam prædestinare æternam*. Videntur hic indicari, per præscientiam, merita prævi-
sa, & per justam beneficentiam prædestinatione compensati. Commentans in psalmos: ⁶ *Præscius est, prædestinavit omnes ante constitutionem mundi regnatos cum filio suo in vitâ æternâ?*

4. VIDEMUS hic, quomodo ex præscientiâ, ejusque certitudine prædestinationem derivare videatur Augustinus. Observant sanè, nunquam quasi locutum de prædestinatione, quia ipsi præscientiam adjungeret; immo itâ quandoque de eâ disse-
ruisse, quasi prænotasse merita idem foret, quod prædestinare, aut quasi prædestinando prænotasset Deus. In lib. de spir. & lit. verba Apostoli: *quos præscivit, & prædestinavit*, refert, simulque ita interpretatur: ⁷ *Quos præscivit, ut prædestinaret*, in libro ad Simplic.⁸ *Quod dictum est, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientiâ*. Addatur, ubi notat, prædestinationem esse illam, *quæ sine præscientiâ esse non potest*. Inviçtum foret hoc argumentum, nisi aliis in locis non ostendisset aliter se accipere præscientiam. Itâ de Angelis bonis, & malis, quos in Genesim scribens per separationem lucis à tenebris intellexit, docuit, *divisione factâ jam ante ipsorum peccatum, ipsorum significari prædestinationem*.⁹ *Ipsæ dividere potuit, cui etiam futurum non natura, sed voluntatis malum occultum, aut incertum esse non potuit*. Inter hos ergo, repetit, *& illos Deum ab initio vel præscientiâ, vel opere divisisse, quis dubitet?* Etiam hoc validissimum foret momentum, nisi aliò in locò tradidisset, servasse Deum in Angelis diversum ordinem providentiæ. Observatur itidem, quod Pauli insistentis vestigiis, cum enumeratis Dei beneficiis in gloriâ finit, inceptis semper à præscientiâ, neutram disjungens ab alterâ. In lib.

de nat. & grat.¹⁰ *Cujus misericordiæ, nisi illius, qui Christum Jesum misit in hunc mundum peccatores salvos facere, quos præscivit, & prædestinavit, & vocavit, & justificavit, & glorificavit?* In Joannem: ¹¹ *Gaudium ejus de salute nostrâ, quod in illo semper fuit, cum præscivit, & prædestinavit nos*. Aliò tractatu in eundem: *Novit Dominus, qui sunt ejus, & quos præscivit, ipsos & prædestinavit*. Videri possit Ecclesia ex hoc locò mutuata esse orationem, quâ itâ Deum affatur: *omniunq; misereris* (id est omnes prædestinas) *quos tuos fide, & opere futuros esse præscis*.

III. QUEMADMODUM, postquam constituerat Augustinus, gratiam esse merè gratuitam, dicere non potuisset, prædestinationem ad ipsam pariter non esse gratuitam: itâ, postquam toties docuerat, æternam mercedem tribui meritis, videri posset possibile non esse ut prædestinationem ad illa asserat non pendere ex meritis; Cum fieri nequeat, ut unâ ratione Deus prædestinet, & aliâ largiatur; ut det tanquam mercedem, & prædestinet merò arbitratu. Probabiliter igitur opinionem suam Augustinus indicat, quoties repetit: ¹² *Paradisum esse præmium bonorum operum; relaturum unumquemque prout gessit in suo corpore; vitam æternam concedi meritis jam antegressis; indubitatum esse, quod retribuat ipsa tanquam bonis operationibus debita; post hanc vitam reddi mercedem; sed eis tantum, à quibus in hac vitâ ejusdem mercedis meritum comparatur*. Videretur id confirmari ex eò, quod observetur loqui sape de supplicio inferni, cum ad bona opera referatur præmium, quemadmodum ad mala supplicium. Loquens ¹³ *de eò genere hominum, quod prædestinatum est ad interitum*, dicit, *super hos respexisse Dei præscientiam, protulisseque sententiam*. De impiis dicit, ¹⁴ *Deum ita peccaturos sine dubitatione præscivisse, ut æternò igne essent damnandi*. De nonnullis memoravit, quod ad rogam infernalem ¹⁵ *dammati sint propter iniquitatem superbiæ*. Quod autem aliquam inter hæc duo proportionem agnovit, apparet, ubi de fausto, atque infausto exitu eadem dicendi formâ differuit: ¹⁶ *Aut mala pro malis retribuantur; sicut Deus ignem æternum retributurus est impiis; aut bona pro bonis; sicut regnum æternum retributurus est justis*. Et epistolâ ad Sixtum: ¹⁷ *sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors; ita merito justitiæ, tanquam stipendium vita æterna*.

(1) Serm. 88. n. 19. (2) de dono persever. n. 35. (3) 2. Tim. IV. 8. (4) in Pf. C. n. 2. (5) de pecc. mer. l. 2. n. 47. (6) in Pf. LXVIII. Serm. 2. n. 13. (7) Rom. VIII. 29. de spir. & lit. n. 7. (8) ad Simplic. l. I. qu. 2. n. 6. de præd. SS. n. 19. (9) de Civit. D. l. II. c. 19. & 23. (10) n. 5. (11) in Joan. Tr. 83. n. 1. Tr. 48. n. 4. (12) epist. 194. ep. 217. de corr. & gr. de perf. just. n. 17. (13) ibid. n. 31. (14) ep. 186. n. 23. (15) de pecc. mer. l. 2. n. 26. (16) in Pf. CXVIII. Serm. 7. n. 1. (17) epist. 194. n. 20.

2. PRÆDESTINATIO à Patre nostro quandoque vocata fuit electio, & prædestinare, eligere. Hòc vocabulò Veteres sæpe intellexerunt, esse fide dotatum. Vos autem genus electum¹ dicit D. Petrus ad omnes fideles. Paulus illos sæpe vocat à Deo electos. Hoc sensu sæpe dicit Augustinus:² tene in mente electionem non ex operibus. Quod eò sensu id dicat, colligi potest inde, quòd his in locis agatur de filiiis promissionis, & quòd præmittat: maxime hic gratiam commendari. Sed Advertamus modò, quò pactò locutus fuerit, cùm electionem ad gloriam intelligebat. In caput Lucæ de tribus, qui diversis sese modis obtulerant, ita loquitur:³ In hoc capitulò hoc discimus; quoniam, quos voluit Dominus, hos elegit. Elegit autem, sicut dixit Apostolus, & secundum suam gratiam, & secundum illorum iustitiam. En duplicem illam causam! In Joannem:⁴ Qui enim diligunt, quia diligunt, eliguntur. Quemadmodum hìc electionis causa tribuitur dilectioni, ita alibi adscribitur humilitati. De cœlesti regno loquens, quod aliis à patre paratum seu prædestinatum erat, docet, dictum illud Salvatoris: non est meum id dare vobis, idem sonare, quod superbis cujusmodi erant. Sequitur: Aliis paratum est, & vos alii estote; & vobis paratum est. Quid est, alii estote? prius humiliamini.⁵ In alio Tractatu ad verba Salvatoris: Ego scio quos elegerim; quos? subdit Sanctus,⁶ nisi eos, qui beati erunt faciendo ea, quæ præcepit, ac facienda monstravit; qui efficere beatos potest. Quo videtur innuere, electos esse eos, qui prævisi fuerunt præcepta observaturi, imitaturique Salvatoris exemplum.⁷ Non prædestinavit (Deus ad gloriam) nisi quem præcivit crediturum; & secuturum vocationem suam; quos & electos dicit.⁸ In Tractatibus: Dominus⁹ novit, quid sit quisque factururus, & quid sit pro eius opere redditurus. De Esavo, & Jacobo loquens exposuit, quò pactò ille carnales, iste spirituales repræsentaret; quomodo item minores fuerint electi, majores reprobari.¹⁰ Minor in bonis Christianis... major in superbis. Vult & ipse eligi? fiat minor. Attingimus etiam, quomodo in Tractatu illo, ubi magis ex instituto discussit hanc quæstionem, & in quò, cùm postmodum de prædestinatione scribebat, professus est, se istam quæstionem¹¹ solvisse secundum veritatem Divinarum scripturarum, duo distinxit prædestinationum genera, recensuitque effata quædam, quæ adducuntur ad comprobandum, quod

non electio ad gratiam, sed electio ad gloriam opera complectatur. Non quia invenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat, ideo manet propositum justificationis ipsius; id est concedendi donum fidei; sed quia illud manet, ut justificet credentes, ideo invenit opera, quæ jam eligat ad regnum Cælorum. Paulo post: Nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur.

3. Hujus opinionis Patroni, cùm opponitur, celebratam fuisse prædestinationem ab Augustino tanquam non pendentem ex meritis, reponunt loqui ipsum illis in locis vel de prædestinatione ad fidem, vel de utrâque simul: quo casu dici nequit, quod in partem vocentur merita; alioqui gratuita non amplius foret gratia. Respondent dicta prædestinationi absolutæ faventia potissimum ex tribus illis libris desumi, quibus Augustinus adversarios acutos, & dialecticos sophistas disputando pariter, atque argutando retundit. Cùm genuina ejus doctrina inquirenda sit potius in aliis omnibus operibus, in quibus nihil prorsus obscuritatis habet; & quibus instituit, hortatur, interpretatur scripturam, & citra luctam disserit, & docet. Addunt, ex illis ipsis libris disci, prædestinationem non respicientem merita, esse ad fidem. Titulum de prædestinatione Sanctorum perperam accipi de Sanctis, quando hòc vocabulò hìc intelliguntur fideles. Hæc est significatio, & notio vocabuli Sanctus in novò Testamento, & speciatim in D. Paulo, ex quo suum idioma desumpsit Augustinus. In Actis, & epistolis bifariam hoc nomen accipitur; vel ut adjectivum more latinorum; vel ut substantivum. Quando usurpatur secundo hoc modo, significat homines ad Christi fidem adductos. Mibi omnium sanctorum minimo, inquit Apostolus.¹² Sicut & in omnibus Ecclesiis Sanctorum doceo, scripsit idem.¹³ Necessitas Sanctorum, pauperes Sanctorum, sancti Jerosolymæ, servite Sanctis, & ita porro.¹⁴ Denis fortasse, aut duodenis vicibus nominandi ipsi fuere fideles in inscriptionibus, & clausulis epistolarum; & tamen aliò nunquam eos nomine appellavit. Salutate Sanctos. Et ubi D. Petrus ait e. gr.¹⁵ Iis, qui coequalem nobiscum sortiri sunt fidem, S. Paulus ait:¹⁶ Eis, qui sunt Colossis, Sanctis! Paucis: τὸ sancti quadraginta fortasse vicibus in N. T. idem significat quod fideles.

4. AFFIRMANT præterea, in aperto esse, quod sic debeat intelligi. Liber

(1) 1. Petr. II. 9. (2) Op. imp. l. I. c. 141. (3) Serm. 100. n. 3. (4) in Joan. Tr. 76. n. 2. (5) in Pf. CXXVI. n. 5. (6) In Joan. Tr. 59. n. 1. (7) Exp. quar. prop. n. 55. (8) in Joan. Tr. 53. n. 4. (9) in Pf. CXXXVI. n. 18. in Pf. XLVI. n. 6. (10) de præd. SS. n. 8. (11) ad Simpl. l. I. qu. 2. n. 6. (12) Eph. III. 8. (13) 1. Cor. XIV. 33. (14) Rom. XII. 13. XV. 25. 26. 31. (15) 2. Pet. I. 1. (16) Col. I.

enim

enim reapse agit de prædestinatione ad fidem, conscriptusque est adversus Semipelagianos, contententes, ejus principium, & prædestinationem esse ex nobis. Profitetur statim: ¹ Prius fidem, quã Cbristiani sumus, donum Dei esse se debere ostendere & respondere jactanti, ex nobis nos habere ipsam fidem; sed incrementum ejus ex Deo: tanquam fides non ab ipso donetur nobis; sed ab ipso tantum augeatur in nobis, cõmeritõ, quo caput à nobis.

Docet hic, quando Deus promissit Abraham in semine ejus fidem gentium, de suã prædestinatione promississe. En tibi prædestinationem de quã disputat.

SUB finem concludit multa se dixisse de novã questione, contra eos quidem, qui contendeant, initium fidei, quo in Cbristum primitus creditur, ab homine ipso esse, nec esse donum Dei. Alium igitur liber ille scopum non habuit. At quorũ præfigere titulum prædestinationis, quo materia innui videatur diversa? Ideo nempe, quia phrasi Augustinianã, prædestinatum nobis quid esse, aliud sæpe non significat, quã dari debere à Deo. De aliis loquens donis: ² An fortè, inquit, nec ipsa dicant prædestinata? ergo nec dantur à Deo; aut ea se daturum esse nesciunt. Quod si & dantur, & ea se daturum esse præsciunt, profectò prædestinavit. Ita, quando Semipelagiani negabant, primam fidem prædestinari à Deo, innuere volebant, non dari à Deo. Idem itaque illõ ævõ, & apud Augustinum significabat: De prædestinatione Sanctorum; ac si librum suum inscripisset: de fide datã à Deo, vel de fide, quæ est donum Dei. Deum immortalem! quã longè disjuncta idea & notio à nostra; atque ab iis, quæ hodie de Prædestinatione disputantur!

5. ERUITUR idem ex libro de don. persév. De bono habent MSS. non de dono; atque hoc nomine citatus fuit ab antiquis. Immo ex Prospero, pluribusque membranis agnoscimus, fuisse id unum duntaxat Opus in duos libros divisum. Ubi habet: Sanctus ³ cum Deum rogat, ut sanctus sit, id utique rogat, ut sanctus esse permaneat, manifestò liquet, sancti nomine ibidem non eum venire, qui omnibus prædictus sit virtutibus, sed qui habeat fidem, utpote virtutem singularem, quia pergit idem dicere de casto, de justo, de continente, de pio, & cæteris deinceps virtutibus. Agitur hoc libro etiam de Deo eligente fideles, ut sint, non quia jam erant. ⁴ Alio loco: ⁵ An quisquam dicere audebit, Deum non præscisse, quibus esset daturus, ut crederent? aut quos daturus esset filio suo, ut ex eis non perderet quenquam? Quæ utique si præsci-

vit, profectò beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præscivit. Hæc prædestinatio Sanctorum nihil aliud est, quã præscientia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur. Declarat hic non debere nos offendi hæc prædestinatione, nec magis detereri illã, quã à confitendã præscientiã Dei; ⁶ quippe contra quam pariter quis possit obmovere: tales eritis postea, quales vos Deus futuros esse prævidit. Difficile videtur id aliò modò explicare, quã quia tales nos Deus prævidit, quales esse volumus, aut volumus. Asserit deinde: ⁷ In suã, quæ falli, mutarique non potest, præscientiã opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam est prædestinare. Declarat, hæc suã prædestinationis prædicatione illum tantummodo periculosissimum errorem impugnari, quò dicitur, gratiam Dei secundum merita nostra dari. En igitur, quo sensu prædestinationem propugnet, & quo assermet, non posse illum impugnari citra errorem. Non habuit igitur in animo refellere eum, qui diceret prædestinari gloriam ex meritis.

6. FIDES, & gratia dantur à Deo. Prædestinasse est hoc præscisse, quod fuerat ipse factururus. Hinc est, quod Augustinus pro eodem habeat prædestinationem, & operationem Dei. Quale igitur fuit ejus ratiocinium, disceptatione ad Prædestinationem, translata; quando quærebatur, an prima & ultima fides solius nostræ sit partus voluntatis, quæ certè diversa esse videtur quæstio? Hoc fuit nimirum: quod cum in scripturã pluribus ipse testimoniis comprobatum invenerit, Deum has gratias prædestinare, ex iis consequabatur, ipsas ab illo datas fuisse, quò telò confodiebantur Semipelagiani. ⁸ Quod si dantur à Deo, & ea se daturum esse præscivit, profectò prædestinavit. Sine hac animadvertione contendunt fautores prædestinationis relativæ, non posse rectè intelligi binos hos libros; longèque ab eorum scopo abire eum, qui existimat agi ibidem de destinatione ad gloriam semel vel iterum hoc in libro nominatã, vel cum se dabat occasio, indigitatã ob connexionem quæ finalem perseverantiam inter & beatitudinem æternam intercedit. Quemadmodum & propter conjunctionem quæ sæpe reperitur inter perseverantiam in fide, & perseverantiam in virtutibus Christianis, etiam hanc quandoque perstringit Author; tametsi Semipelagiani non contenderent propriè ex arbitrii viribus nasci, nisi initium fidei, & finem. ⁹ Solum initium fidei, & usque in finem perseveran-

(1) de præd. SS. n. 3. 19. 33. (2) de don. persév. n. 42. (3) de don. persév. n. 4. (4) n. 34. (5) n. 35. (6) n. 38. (7) n. 41. 42. 53. (8) n. 42. (9) ibid.

tiam sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent.... cetera verò ipsum dare concedunt.

7. SUB libri finem reprobatur quosdam loquendi modos, qui exosam reddebant bonam doctrinam; dubiumque movebant de sanâ fide. Non dici oportet e. gr. *sive curratis*,¹ *sive dormiatis*, quod nos præscivit fore, erimus. Sed dicendum est: *sic currite, ut comprehendatis*, atque in ipso cursu vestro ita vos esse præcognitos noveritis, ut legitime curreretis. Quamvis verum sit, Dei dispositione alios ad fidem converti, atque in illâ perseverare; alios jacere in incredulitate; & quamvis vera sint ea omnia, quæ dicuntur de virtute gratiæ, de prædestinationis infallibilitate, alio tamen modo ista efferrî non debent, quàm hoc:² *Ita se habet de Prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, ut ex infidelitate veneritis ad fidem acceptâ voluntate obediendi, & acceptâ perseverantiâ permaneat in fide.* Vult itidem dici: *De ipso autem cursu vestro bono, rectoque discite, vos ad prædestinationem Divinæ gratiæ pertinere.* Quo docere videtur, pendere prædestinationem ex nostrâ bonâ vitâ. Non probabatur quidem ipsi hic modus loquendi:³ *Quos gratia sua prædestinavit eligendos, accipietis eandem gratiam qua velitis, & eligamini.* Sed dici volebat: *Et si qui sunt nondum vocati, pro eis, ut vocentur, oramus, fortasse enim sic prædestinati sunt, ut nostris orationibus concedantur.* Ipsorum itaque prædestinatio ex huiusmodi præscientiâ pendebat. Etiam in lib. de corrept. vehementer increpuit, ita garrientes:⁴ *Quid prodest esse sollicitum? Nemo perit, nisi filius perditionis.* Quo ostendit, inprimis, quantum foret contrarius iis, qui prædestinatione antecedente abutuntur; deinde indicat se nunquam reprobaturum fuisse, si quis è contrario dixisset: *bene operamini, Deus enim secundum opera vestra, quæ prævidit, vos prædestinavit.*

8. PRÆDESTINATIONEM ad gloriam post divinam clementiam è meritis gratiæ supernæ virtute productis prognatam tueri licet, quin accedamus ad Pelagianorum, aut Masiliensium errores; qui vel opera, vel primum illorum principium volebant esse partem liberi arbitrii; & utramque inter se permiscuentes asseriebant etiam prædestinationem ad fidem fundari in meritis. Hinc locus ille:⁵ *Non ex operibus, nè forte quis extollatur ita fuit expositus ab Augustino: Sed audi, & intellige, non ex operibus dictum tanquam tuis, & ex te ipso*

tibi existentibus. Inde est, quod propter destinationem ad vitam æternam appellaverit Deum misericordissimum gratiæ largitorem, dum contra pro illis, quos prædestinavit ad æternam mortem, vocavit iustissimum supplicii retributorem.⁶ Videatur, ubi notat:⁷ *Præsciebat ergo, ait Pelagianus, qui futuri essent sancti & immaculati per liberum voluntatis arbitrium, & ideo eos ante mundi constitutionem elegit.* En prædestinationem ex meritis, quam impugnât!

IV. INTER validissima momenta, quod Author noster censuerit prædestinari homines ad Cælum nullâ meritorum habitâ ratione, adducitur istud, quod nixus maximè fuerit exemplo infantum, in quibus itâ certè se res habet:⁸ *In Divinitatis... profundo est, quod ille parvulus in bonorem adoptatur per regenerationis lavacrum, ille in contumeliâ relinquitur.* Quod item ex parvulis baptizatis unus rapiatur, antequam malitia mutet intellectum, & alius vivus relinquatur, futurus aliquando impius. Quis inficiabitur, quod⁹ etiam parvulos Deus, quibus dat suam gratiam per baptismatis sacramentum, eruit è potestate tenebrarum, eosque ad suum regnum transferat? in eo, quod aliis eam dat, aliis non dat, cur nolum cantare misericordiam, & iustitiam cum psalmistâ? Ad hoc responderetur, non valere argumentationem ab his ad adultos. Pelagianos, & Semipelagianos, qui à meritis omnem produci volebant prædestinationem, convincebat ipse, & in ruborem dabat, propositis ante oculos parvulis, qui sine meritis, & sine usu arbitrii Cælum adipiscuntur.¹⁰ *Dicite ergo nobis, quicumque baptizati in Christo parvuli de corpore exierunt, hoc tam sublime donum, quibus præcedentibus meritis acceperunt.* Sed vicissim contendunt alii, non posse argumentum à parvulis detorqueri ad adultos; quia merita non habent parvuli; habent autem adulti, unde videtur ab uno non posse transferri paritatem ad aliud: Neque ex eo, quod monuerit Augustinus, prædestinari à Deo ad gloriam parvulos meriti incapaces, inferri posse, quod eadem ratione illos crediderit prædestinari, qui propriis actionibus, iisque voluntariis premium mereri possunt, vel supplicium. Itâ & in errore versari dicunt, qui ex eo quod infantibus non baptizatis negetur gratia sufficiens, inferre vellent, igitur nec adultis eam concedi. Non igitur eo consilio parvulorum exemplum Sanctus attulit. In parvulis post baptismum expirantibus locum habet illa ratio, quod quidquid ex

(1) n. 57. (2) n. 58. (3) n. 60. (4) de corr. & gr. n. 48. (5) de gr. & lib. arb. n. 20. (6) de anima, n. 16. (7) de præd. SS. n. 56. (8) Op. imp. l. 1, n. 38. de pecc. mer. l. 1, n. 30. (9) de don. persev. n. 27. (10) ad Bonif. l. 2. n. 11.

merâ fit gratiâ, Deus utpote Dominus id suô dispensare velit arbitratu. Exprescit id Servator in parabola eorum, qui evocati fuerant ad laborandum in vineâ, ubi quidam gratiâ affluunt, & cumulantur; non tamen idcirco quisquam debitâ mercede privatur. ¹ *Tibi, inquit, reddidi; huic donavi; neque ut huic donarem, tibi aliquid abstuli.*

2. ALTERUM argumentum hanc opinionem impugnantium est; quod scriptum reliquerit Augustinus ² melius esse *confidere in Domino, quàm in homine*, seque *mirari*, ³ *homines infirmitati suæ se malle committere, quàm firmitati promissionis Dei.* Dum contra, si prædestinationem ad cœlestem gloriam pendere voluisset ex meritis, ostendisset confidendum potius in nobis, quàm in misericordiâ Divinâ. Ad quod respondent, eum, qui contendit, prædestinationem respicere merita, ex quibus tantum sibi vendicat Deus, non in se, sed in auxilio Dei confidere. Non obstante enim Divinâ misericordiâ constare nobis, vi iustitiæ plurimos prædestinatos esse ad infernum: unde tantò maiorem timendi causam habeo, nè viribus meis Divino innixis auxilio non possim forte in prædestinationis meæ partem venire. Loqui eò locò Augustinum de promissione factâ Abrahamo à Deo, in quâ proinde, & nullâ aliâ habere debebat fiduciam; at in hac promissione nullam cœlestis gloriæ fieri mentionem. Promisit etiam gentibus concessurum se fidem; idque merâ gratiâ, non voluntatis meritò. Vocatio ad fidem merè gratuita est; quia in ipsius initio Deus vult esse solus; at non huiusmodi videtur esse debere directio ad gloriam, ad illam enim etiam nos vult totis viribus conniti. Ità cum opponitur, prædestinationem oportere esse mysterium, & arcanum incomprehensibile, tale autem non fore si sic exponatur, respondent mysterium, de quo loquitur Apostolus in eò potissimum consistere, quod tot nationes Evangelio privatas videre sit, cum tamen Salvator venerit omnes redempturus.

3. MONENT item fautores hujus sententiæ, docuisse non semel Augustinum, Divo Paulo in ep. Rom. Sermonem esse præcisè de electione ad fidem, & de eò, quod nullam hâc in re partem sibi vendicent merita. Monent, prædestinationem à Sancto nostro definitam fuisse ⁴ *præparationem gratiæ*; non item gloriæ. Monent, certissimam dixisse quidem atque infallibilem, talemque certò esse, & fore om-

nem Dei prædestinationem; at dixisse quodque, prædestinandum, ac salvandum fore quemvis hominem, ⁵ *nisi vocatione contempta reprobis fieret.* Monent gratiarum omnium maximam, id est perseverantiam *suppliciter emereri hominem posse.* ⁶ Quid? quòd asseruit solis illis id concessum iri, qui supplices id petent. ⁷ *Constat, alia Deum danda etiam non orantibus, sicut initium fidei; alia nonnisi orantibus præparasse; sicut usque in finem perseverantiam.* Hinc sumunt anam dicendi: siquid in perseverantiâ, quæ ob conjunctionem cum gloriâ donum gratuitum est, sibi vindicare meritum precationis existimavit, quantò potiori jure credi debebit, existimasse, partem aliquam habuisse merita in prædestinatione ad gloriam, quæ scripturæ suffragio conceditur meritis? Observant porro, quomodo ex celebrium istorum librorum contextu appareat, omnem omnino prædestinationem negasse Adrumetinos Monachos, maximè ob popularem illam difficultatem, quæ Ciceronem ad derogandam Deo præscientiam impulerat. Hos igitur ut Augustinus ab errore revocet, prædestinationis probat veritatem, quæ à nemine impræsentiarum negatur; probat itidem illam quæ est ad fidem, esse gratuitam. Atque hoc est perpetuum Tractatus sui argumentum. Ad eam porro, quæ est ad gloriam cœlestem, non referuntur, nisi pauca admodum loca, idque ob cognationem materiæ duntaxat, & quandam consensionem. Postquam de vocatione securâ secundum propositum, de prædestinatione, & præscientia disseruit, concludit *non de quacunque hic agi vocatione, sed quâ vocatione fit credens.* ⁸ Postquam multa disputavit de prædestinatione, propositò Christi exemplò, concludit: ⁹ *Sic & nobis, ut ex aqua, & Spiritu renascemur, non retributum est pro aliquo merito; sed gratis tributum; & si nos ad lavacrum regenerationis fides duxit, non ideo putare debemus, priores nos dedisse aliquid, ut retribueretur nobis regeneratio salutaris. Ille quippe nos fecit credere in Christum, qui nobis fecit, in quem credimus Christum.*

4. DENIQUE tanquam magnum genuinæ Sententiæ argumentum in Augustino observant iidem; declarasse ipsum adeò luculenter: ¹⁰ *venisse Christum, sed primò salvare, postea judicare. Item: non amare Deum damnare, sed salvare; & ideo patientem esse in malos, ut de malis faciat bonos; adduxisse item toties, adeoque elucidasse dicta illa: Omnes viæ Domini misericordia. Vult omnes homines salvos fieri; Non vult mortem*

(1) ibid. n. 13. (2) de don. persev. n. 62. (3) de præd. SS. n. 21. (4) de præd. SS. n. 19. (5) ad Simpl. l. 1. qu. 2. (6) de don. perf. n. 10. (7) n. 39. (8) de præd. SS. n. 32. (9) n. 31. (10) in Joan. Tr. 36, n. 4. Serm. 18, n. 2.

nè peccatoris quidem; Proprio filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum. Noli dicere, per Deum stat, quominus evadam salvus, & similia. Cum igitur se ostenderit studiosum adeò Divinae misericordiae Praeconem, non ita pronum videtur, existimasse ipsum, quod Deus paucos quosdam selegerit, & stante primi parentis peccato, sua iustitia, & suprema potestate voluerit instituire arbitrium quoddam decimationis genus in bono, cum humano genere condemnato. Si omnes Caelo destinati essent homines, liberè diceretur, praedestinationem esse purum putum effectum Divinae clementiae: Verum cum tot praedestinati sint ad infernum; & non solum iustitiae, sed etiam, imo plus misericordiae attributum in Deo celebraverit Augustinus, ad nostrum intelligendi modum aptius videtur, censuisse ipsum cum Chrysostomo, totque aliis, quod electum esse¹ & Divinae benignitatis signum sit, & ipsorum virtutis; ac proinde destinationem ad rogam aeternum certum esse peccatorum in ipsis argumentum. Nec satisfacere videtur, qui respondeat, existimasse tamen ipsum à meritis provenire praedestinationem executivam, id est ejus executionem; siquidem haec mera & infallibilis illius est consecutio, ita ut in eadem² praedestinatione jam factum fuerit. Unde S. Joannes usus fuit praeiterito,³ ut monstraret in praedestinatione jam factum, & pro facto habendum, quod certissime fuerat futurum. Nec videtur dici posse, aliud esse negligere, & aliud condemnare; quando negligere eundem producat effectum, quem condemnare. Hinc Tertullianus:⁴ Quasi non & hoc ipsum iudicatio fiat. Stultitia! Quis erit exitus segregatorum? nonne amissio salutis? Non desunt porro, qui adjungant, attendi meritò debere, adeò impensè ab Augustino commendari, maxime sub finem libri de Persiv. ut evitentur modi loquendi duriores, opiniones item illae, & effata, quae timorem concutere atque ad desperationem possint populum adducere. Certò constat, praedestinationem jam factam esse; certò constat, non obstante Dei misericordia eam quibusdam adhibitam fuisse, quam direxit iustitia. Certò constat, qualiscunque demum illa sit, non posse eam impediri, & suo frustrari effectu. Quis alius itaque modus inquirunt illi, cohibendi homines, nè ob conceptam hanc animò ideam omnem salutis suae curam, tanquam prorsus inutilem abjiciant; persuadendi item ut Divinà fultu ope omnem ad illam praedestinationem obtinendam conatum adhi-

Prædesti-
natio non
infert ne-
cessitatem
antecedentem.

beant, quàm si eis ponas ob oculos, quem admodum funesta praedestinatio ex peccatis nostris causam traxit, ita pariter ex praevisis nostris bonis operibus pendere felicem. Unde, quemadmodum licet res à Deo provisae non possint non evenire, quisque tamen necessaria ad eas impendit media; ita quoque in negotiò hoc omnium gravissimò, fieri oportere. Hinc est, quod Sanctus noster studuerit saepe animum addere peccatoribus, idque variis modis.⁵ Si mutaris, mutatur: nam scriptum est, quod paeniteat Deum... si vos paeniteat vos de peccatis vestris, paenitebit & me de omnibus malis, quae facturus eram vobis... Penitentia in Deo dicitur mutatio sententiae... mutatus es reus? mutavit iudex sententiam: noli terri. De praedestinatione: Fides ergo, quae per dilectionem operatur, si est in vobis jam pertinetis ad praedestinos.

Ex tibi! quidquid adducant, aut pro se adducere possint, qui contendunt, censuisse Augustinum post misericordiam Divinam etiam à meritis originem duxisse praedestinationem ad gloriam. Atque jam in eo sumus, ut proferamus momenta, quae afferuntur, aut afferri ab iis possunt, qui è contrario affirmant, propugnasse ipsum praedestinationem anteriorem, atque ab omni meritorum praescientia independentem.

V. Atque initio aperienda est traditio, ut quidem apparet, contraria; propterea quòd Patres priorum Saeculorum ad aliam inclinaverint sententiam. Non agitur hic de dogmate, ad cuius conservandam puritatem comitari illud debet traditio. Agitur de re adiaphorà, in qua aequè Catholicus est, qui unum tueretur, quàm qui aliud; quare ideo in re nunquam iudicavit Ecclesia oportere quidquam decidi, vel declarari. Planè itaque in Sancti nostri arbitrio positum erat, cui mallet opinioni adhaerere. Immo non videtur hac in re magnopere laborandum de antiquiorum hac in re sententià. Illorum enim aetate nondum pleni discussa fuerat haec materia, neque conscripti de ea singulares commentarii.⁷ Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui prius quam ista haeresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficultate ad solvendum quaestione versari? Fuit ex posthac Sententiae patronis, qui adjungeret, nè eos quidem libros, quos ipse scripsit Augustinus, antequam rem istam ex instituto discutiendamsumeret, quantum quidem huc spectat, magni faciendos esse; sed illos duntaxat, in quibus hunc sibi scopum praefixit, hoc est, celebres illos

Momenta
Sententiae
contrariae.

(1) S. Joan. Chryf. Hom. 1. in Eph. τὸ ἐκλεγεῖν δὲ, καὶ τὸ τὸ Θεῷ προαιροῦνται τεκμεριον, καὶ τὸ ἀπολαβεῖν. (2) doct. Chr. l. 3. n. 40. (3) in Joan. tr. 105. n. 5. (4) Con. Marc. l. 4. c. 29. (5) Serm. 22. n. 6. (6) Serm. 158. n. 27. (7) De praed. SS. n. 27.

res, non diu ad id ante mortem compo-
sitos; quando discitantiis quibusdam
Monachis, supposita praedestinatione, inu-
tiles fore correptiones, & exhortationes,
ad praedestinationem serio enucleandam
appulit animum.

2. Docet in his Augustinus, aqertè ex
SS. Litteris constare: ¹ *donum Dei esse in
bono perseverare usque in finem*, docetque
in eternam vitam non ordinari nos, nisi per-
severantiae dono. Non quidem exprimit,
donum hoc esse gratuitum, sed citans di-
ctum illud: *Vobis donatum est pro Christo*,
non solum ut credatis, verum etiam ut patia-
mini pro eo, ait: ² *Horum quippe unum per-
tinet ad initium, alterum ad finem: utrum-
que tamen est Dei donum, quia utrumque (à
D. Paulo) dictum est esse donatum*. Igitur,
quemadmodum gratuitum certè est ini-
tium fidei: ita pariter gratuita est perse-
verantia usque ad mortem. Discamus igitur,
cum scripsit, posse nos precibus mere-
ri perseverantiam, intellexisse id ipsum de
merito quodam congruo, quod non re-
pugnet dono gratuito. Quò igitur pacto,
inquiunt ipsi, potuisset Sanctus gratuitam
credere perseverantiam, quæ necessariò
est connexa cum gloria, & talem ipsam
non credere perseverantiam?

3. AFFIRMAT: ³ *Quicumque ergo ab illa
originali damnatione ista Divinae gratiae lar-
gitate discreti sunt, non est dubium, quod &
procuratur eis audiendum Evangelium, &
cum audiunt, credunt, & in fide, quæ per di-
lectionem operatur, usque in finem perseverant
&c.* Et nonnulli accepta gratia in quolibet
ætatè periculis hujus vitæ mortis celeritate
subtrahuntur. Hæc enim omnia operatur in
eis, qui vasa misericordiae operatus est eos; qui
& elegit eos in Filio suo ante constitutionem
mundi per electionem gratiæ: si autem gratia
jam non ex operibus &c. Non enim sic sunt
vocati, ut non essent electi &c. sed quoniam
secundum propositum vocati sunt, profectò &
electi sunt per electionem, ut dictum est, gra-
tiæ, non præcedenti meritorum suorum;
quia gratia illis est omne meritum.

Ex eo, quod dicat Augustinus, præde-
stinatos perseverare in finem; & nonnul-
los eorum morte præmatura omnibus eri-
pi periculis, planum fit, inquiunt, non
hæc ipsum intellexisse non solum de præ-
destinatione ad fidem, sed & ad gloriam.
Integram itaque, & completam prædesti-
nationem intelligit, quando loquitur de
vâs misericordiae, de electis ante mundi
creationem, de quæ vocatis secundum pro-
positum. De his itaque affirmat, quod se-
gregati sint merâ gratiâ, ipsorumque me-
ritum non sit, nisi gratia. Quamvis igitur
D. Paulus, cujus de se loquentis hæc sunt

verba: *Deus nos elegit, & nos prædestinavit
secundum suam voluntatis propositum*, videat-
ur nonnullis non intellexisse ea, nisi de
electione ad fidem jam impetratâ; propte-
rea quòd illa, quæ est ad beatitudinem abs-
condita sit, atque incerta; memorata ta-
men loca, aliæque plura argumento sunt,
quod ea secus intellexerit Augustinus.

4. REPETIT hæc dicta sapius Author
noster, & advertit, quod, ⁴ *cum audimus:
Quos autem prædestinavit, illos & vocavit*,
secundum propositum vocatos debeamus agno-
scere... ideoque subjunxit Apostolus:
*quoniam quos ante præscivit, & prædestina-
vit, quòdque hi sint electi (electi autem ad reg-
num cum Christo) sintque prædestinati, &
præsciti*. Ubi viderur in prædestinatione
præscientiam; non in præscientiâ prædesti-
nationem fundare. Adde, quod inscrutabile
asserat, ⁵ *cur donum in bono perseverandi ille
accipiat, ille non accipiat*. Non existimabat
igitur, rationem hujus peti posse ex me-
ritis; sic enim non mansisset amplius my-
sterium inscrutabile: sed provenire id so-
lummodò à gratiâ Dei prædestinatione.
Idque vel eò magis, quod eundem in cen-
sum referebat infantem aliquem post ac-
ceptum baptismum, alium ante, decedere;
quandoque prius filium fidelium amico-
rum Dei, & tamen regno manere exclu-
sum cœlesti; contrâ venire in manus Chri-
stianorum filios infidelium, & per bap-
tismum introduci in regnum. ⁶ *Quæ omnia non
possunt prædestinationi tribui nisi absol-
utæ*. Eadem sensa expressit sapius, mo-
disque diversis, omne bonum prædestina-
tioni adscribens; indeque repetens, non
debere nos superbire, sed animo esse de-
missio ⁷ quandoquidem nihil habeamus,
quod nostrum sit; ideoque occultari, quis
electus sit, quis non sit; ut nostra caveatur
elatio. Monet Magister noster, loqui se, de
his, ⁸ *qui prædestinati sunt in regnum Dei, quo-
rum ita certus est numerus, ut nec augeri pos-
sit, nec minui; neque rem sibi esse cum his,
qui vocati dici possunt, non autem electi, quia
non secundum propositum vocati*. Concludit:
⁹ *Proinde, quantum ad nos pertinet, qui præ-
destinatos à non prædestinatis discernere non
valemus, & ob hoc omnes salvos fieri velle de-
bemus, omnibus, ne pereant, vel ne alios per-
dant, adhibenda est à nobis medicinaliter seve-
ra correptio: Dei est autem illis eam facere
utilem, quos ipse præscivit, & prædestinavit
conformes fieri imaginis filii sui*.

VI. OMNES, qui docent Augustinum
verè authorem esse prædestinationis ante-
cedentis, adducunt in rei hujus testimo-
nium binas epistolas Prosperi, & Hilarii,
quas subsecuti fuere libri de prædestina-
tione, & perseverantiâ. In dictis epistolis

(1) de Corr. & Gr. n. 10. (2) de don. perf. n. 2.
(6) n. 18. & 24. (7) n. 40. (8) n. 39. (9) n. 49.

(3) n. 13. (4) de Corr. & Gr. n. 14. (5) n. 17.
X 3

dilucidè exponuntur opiniones Semipelagianorum; inter quas locum habent dictamina quædam Catholica; de quibustamen in responsionibus non agitur. Sed præter errorum ipsorum sæpe repetitum caput, in eo ferè positum, quod non admitterent gratiam, quæ ¹ omnia præveniat merita humana; & contenderent, primam motionem versus fidem, & bonum à naturali facultate nostrà derivari, huiusque credulitatis merito omnia cetera à Deo concedi, affirmabant Deum ² eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos dignos futuros electione, & de hac vitâ bono fine excessivos esse præviderit. Per hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel ante... eligendorum, & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Creatori, alii vasa bonoris, alii vasa contumeliæ sint creati... removere omnem à peccatoribus surgendi curam; inducique teporem in bonos; siquidem non datur amplius industriæ, viribusque nostris locus; si Dei constitutio humanas præveniat voluntates. Hic autem inprimis observandum est, quod de universâ itaque prædestinatione actum fuerit, crediderintque Semipelagiani eam ex meritorum dirigi præscientiâ. Observari porro meretur, si censuisset Augustinus Deum ad gloriam destinare propter merita, statim, facilique negotiò solaturum fuisse difficultatem dicendo: Divino huiusmodi decreto causam à nostrâ voluntate, & fide præberi; id quod in libris duobus subsequenter nunquam facit. Attingitur etiam primâ epistolâ responsio erronea, atque exotica, quâ expeiebant Semipelagiani argumentum ductum ab infantibus, oraturque Sanctus, ut demonstret, quemadmodum ³ per hanc prædicationem propositi Dei, quo fideles fiunt, qui præordinati sunt ad vitam æternam, non inducatur negligentia vel desperatio. Ex quo apparere videtur actum in huiusmodi disceptationibus quidem fuisse de fide; sed de illâ, quæ dirigitur ad gloriam, illâque coronatur. Eadem exprimuntur in epistolâ S. Hilarii. Habetur ibi præterea, noluisse Semipelagianos illos se ad incertum voluntatis Dei deduci ⁴ sed ad propriæ potiùs voluntatis principium; noluisse item definitum esse numerum electorum, & reprobos, refragatòsque fuisse Augustino dicenti: Deum verè cupere salutem electorum.

2. In libro de Prædestin. SS. ubi gratiam illam, atque unicè à Dei misericordiâ, non à nobis profectam ostendit, directè profectò agitur de prædestinatione ad fidem; re tamen accuratius expensâ deprehenditur, de illâ id ipsum fide intelligere, quæ cum caritate conjungitur, quæ ope-

ratur, quæ perseverat, & coronatur: quia dicitur, ⁵ istam gratiam non dari secundum aliqua merita; sed efficere omnia bona opera, et vocationem secundum propositum non esse omnium, qui vocantur, sed omnium electorum; neque hanc esse gratiam quæ communis est bonis, & malis, sed quæ bonos discernit à malis.

3. EXPONIT quomodo ⁶ prædestinatione Deus ea præciverit, quæ fuerat ipse facturus, non ait, quæ nos fuerimus facturi; docetque gratiam esse ipsius prædestinationis effectum. Igitur ex ipsius mente prædestinatio præcedit omnia; præscientia ex eâ consequitur, & prædestinationis effectus sunt merita. Ubi ait, quod homo in Divinâ potiùs promissione spem debeat habere, quam in suâ infirmitate, concludit in hæc verba: ⁷ Cum igitur utraque incerta sit, cur non homo firmiori, quàm infirmiori fidem suam, spem, caritatemque committit? Quibus verbis ostendit non de solâ fide hæc intelligere; nec debere prædestinationem nobis terrorem incutere, sed afferre potiùs solatium, cum in Dei manu ac potestate planè sit posita.

4. NITITUR vehementer vir sanctus exemplò infantum, qui post baptismum è vitâ sublati ⁸ nullis bonis præcedentibus meritis discernuntur à ceteris. Quemadmodum autem gratuita horum prædestinatio certò est ad gloriam; ita quoque convenit dicere, quod adultos censuerit esse prædestinatos. Excogitatam ab adversariis rationem, quod Deus in hoc respiciat merita, quæ acquisituri in vitâ fuissent, rejicit tanquam inauditam, non sciens, unde hoc talibus viris in mentem venerit, ut præmiò vel pœnâ afficienda crederent merita, quæ non sunt futura. Asserit quoque, Deum secundum præscientiam hoc vidisse, quod futurum erat; non, quod futurum non erat.

5. POSTEAQUAM dixerat, electos esse, ut credant, atque hanc esse immobilem veritatem prædestinationis, & gratiæ, tangit vocationem secundum propositum, item quod prædestinati vocentur justificati, & glorificati illo fine, qui non habet finem. Diferit itaque & de prædestinatione ad fidem, & ad gloriam æternam; & utramque vocationem tanquam electorum propriam celebrat, quibus omnia cooperantur in bonum, quia secundum propositum vocati sunt; & sine penitentia sunt dona, & vocatio ejus. Ex illis verbis Actuum Apost. Crediderunt qui erant ordinati ad vitam æternam, eruitur, inquit, Deum ad regnum etiam Cælorum, & ad vitam æternam parare, & convertere hominum voluntates.

(1) 781. (2) S. Aug. Tom. 10. p. 779. (3) p. 873. (4) 785. & 787. (5) de præd. SS. n. 5. & 7. (6) ibid. n. 19. (7) n. 22. (8) n. 23. 24. 26. 34. (9) n. 42.

Dogma Augustini de perseverantia finali.

VII. DE perseverantia finali docet, donari ipsam à Deo; docet huiusmodi donum præscitum esse ab ipso, & hanc esse prædestinationem¹ Sanctorum, quos elegit in Christo ante constitutionem mundi. Cum perseverantia conjuncta est gloria.² Ex duobus enim piis cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur, inservabilia sunt iudicia Dei: illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Docet³: Non tamen prædestinationis prædicatione impedientiam esse prædicationem fidei perseverantis, & proficientis. Adjungit, prædestinationem à se deprædicatam esse illam, de qua gloriandum non sit, & ne de obedientia quidem perseverantissimam, tanquam non sit nobis desuper donata. Observari meretur, ubi exponit, ista sua dona... procul dubio se donaturum esse præscivisse Deum, & in sua præscientia præparasse. Nam in sua, quæ falli, mutarique non potest, præscientia, opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam est prædestinare. Monet præscientiæ nomine sæpe venire prædestinationem, uti in illo Pauli: non rejecit Deus populum suum, quem præscivit. Hæc Dei dona⁴ si nulla est prædestinatio, quam defendimus, non præsciuntur à Deo: præsciuntur autem; hæc est igitur prædestinatio, quam defendimus. Notat deinde, eundem etiam in sensum accipi posse dicta Patrum, quando agitur de vocatione electorum, id est intelligi præscientiæ nomine prædestinationem posse. Repetit, hanc esse prædestinationem manifestam & certam Sanctorum, quod præviderit Deus dona omnia quæ daturus erat, & quibus. Item: perseverantiam usque in finem non nisi ab eo donari, qui nos prædestinavit in suum regnum, & gloriam. Verbo: Videtur à prædestinatione donorum suorum derivare præscientiam, eminere autem inter hæc initium fidei, & perseverantiam finalem, cum quæ conjuncta est gloria; atque ex eo infert: nimia contentio est prædestinationi contradicere. Sub finem libri monet, ut evitentur modi quidam loquendi duriores, quique metum incutere possint. Non intelligebat hæc igitur de prædestinatione nata ex præscientia meritorum, quæ multò minus terroris habet. Monet præterea ne respondeamus animum. ⁵ Ab sit à vobis ideo desperare de vobis, quoniam spem vestram in ipso habere jubemini, non in vobis. Melius enim est confidere in Domino, quam confidere in homine.

2. & 1. Quid ut nihil prætermittamus eorum, quæ adducunt viri, Augustinum in hac sententia fuisse opinantes, recolere

quædam licebit, quæ connecti possunt cum dictis per alios etiam libros disseminatis. Sæpenumero refert versiculum illum Apostoli, in cujus extremâ parte ponitur *et glorificavit*. Hic est finis, cætera sunt media & via ad finem. Finis autem intentione semper primus est; licet ultimus sit executione; & si finis intenditur prius quàm media; igitur merita, quæ mediocrum vices gerunt, non primò respiciuntur, ac proinde Deus non meritorum virtute prædestinat ad gloriam; imò & cæteræ gratiæ ex finali prædestinatione consequuntur.

Asseruit sæpe, fideles illos qui in fide, & probâ vitâ perstituri non sunt, non esse annumerandos electis; ⁶ nec illo tempore, quò bene, pieque vivunt in istorum numero computandi sunt: non enim sunt à massa illâ perditionis præscientiâ Dei, & prædestinatione discreti; & ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi. Non igitur per prædestinatos, & segregatos intelligebat illos, qui fidem solum & gratiam fortiti fuere; sed illos utique, qui beatitudinem sunt consecuturi.

3. SANCTUS noster meminisse nos iussit ipsius Servatoris tanquam præclarissimi luminis gratiæ & prædestinationis.⁷ Igitur, quemadmodum prædestinatio illius fuit gratuita, & beatitudinem sine dubio comprehendit, ita pariter differendum est de nostrâ. Argumentum hoc foret *indivisibile*, nisi opponi posset quod nimium prober; quia ex hoc exemplo fluere ipsam beatitudinis consecutionem non fore amplius meritorum effectum. Observare tamen licet, non adduxisse Augustinum Servatorem tanquam exemplum prædestinationis gratiæ, sic enim sola respiceretur gratia: sed exemplum prædestinationis, & gratiæ, hoc est prædestinata beatitudinis, & gratiæ.

4. FALSA fati species, quæ vanum infert metum in absolutâ prædestinatione ad gloriam, eundem præstare effectum potest in absolutâ prædestinatione ad fidem; & tamen hæc ab omnibus agnoscitur, admittiturque. Voluntas communis, quæ Deus vult omnes salvos fieri, est erga omnes gratuita: tametsi ejus consecutio pendere debeat ex meritis. Quidni igitur & huiusmodi erit singularis illa, quæ nonnullos absolutè salvos eupit? Quod Augustinus hac de re agens dicat, non oportere spem ponere in homine, sed confidere in Deo, argumento est, quod ipse non admiserit prædestinationem illam, secundum quam & in Deo confidimus, &

(1) de don. persever. n. 15. (2) n. 21. (3) n. 36. (4) n. 47. 53. 55. 56. 57. (5) de bon. persever. n. 62. (6) de corr. & gr. n. 6. (7) de præd. SS. n. 30.

in nobis: sed illam potiùs, quàm in solo Deo conquiescimus.

VIDETUR ex mente Augustini præscientia sequi ex prædestinatione, tantum abest, ut eandem antevertat. ^(*) *In prædestinatione Dominus vidit viam, quàm se converterent (*) tentati.* Quando dicitur Deus sua dona præscivisse, & quibus danda essent non præscire non potuisse (*) intelligendus est eos prædestinasse. Quia alioqui hic se res haberet, uti cum prævidet peccata. Dato, quod prædestinatio sit causa meritorum, consequens est eandem & causam esse præscientiæ illorum.

^(*) f. convertent.
^(*) ita leg.
Morallavia
ex dictis.

VIII. PRÆMISSIS his omnibus; relictisque diligenter secundum utriusque Catholicæ partis opiniones momentis, quæ quidem in Augustini operibus circa prædestinationem inveniuntur, concludendum demum erit, erutis inde omnibus quæ quidem ex universo contextu ad nostram præcipuè rem facere posse videantur. Quemadmodum igitur penultimum totius summæ Augustinianæ articulum posuimus hunc, quod prædestinationem ad fidem ex nullo pendente merito docuerit: ita ultimò locò statuimus, non fuisse ipsum quoad prædestinationem ad gloriam semper sui similem in modo loquendi; sed quandoque visum fuisse credere, quod originem trahat ex meritis; quandoque, quod ipsorum præscientiæ sit anterior. Utrobique censuit nihil prorsus eandem electionis libertati officere, & cum arbitrii facultate æqualiter componi. Atque hoc est, quod ad Catholicam doctrinam unice sciri refert. Magno in errore sunt sectarum recentiorum fautores, cum ex gratuita prædestinatione Augustini conficere conantur, excludere ipsum libertatem indifferentiæ. Adverti primum hic velim, quod gratuitam esse citra dubium censuerit prædestinationem, fateri etiam illos debere, qui existimârunt doctam fuisse ab eo aliquam, quæ orta sit ex meritis: quoniam docuit gratuitum esse, quidquid nobis largitur Deus; cum nullius sit debitor, quicunque etiam fuerit, nisi vi suæ clementiæ, factorumque ultro promissorum. ² *Non debendo, sed promittendo debitor se fecit Deus.* ³ Deus autem nulli debet aliquid, quia omnia gratuito præstat. Quare, licet merita præscita aliquam sibi partem vendicassent, nihilominus eam credidisset gratuitam; quia gratuitam docuit illam esse gratiam, quàm huiusmodi merita acquiruntur. En tibi ipsius doctrinam! ⁴ *Et ipsum hominis meritum donum est gratuitum, & aliâ epistolâ: sed tibi gratia est & ipsa iustitia.* Atque hæc suf-

ficiunt ut quis agnoscat, quod eam omni modo gratuitam prædicaverit. Legitur in *Ecclesi. XVI 15. Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum.* En, quomodo dari locum unicuique secundum meritum nil vetet, quominus sit misericordia. Quemadmodum igitur beatitudo simul est gratia, & merces; ita & merces simul foret & gratia prædestinatio ad ipsam; & supposita etiam causâ meritorum semper esset secundum Augustinum gratuita in radice. Idque tantò magis, quod gratuita pariter fuerit redemptio, & gratuitus benignissimus ille ordo providentiæ, quod decrevit Deus tanto præmio coronare merita tam exigua. Esset igitur gratia, tamen fundata foret in merito, eò fere modò, quò gratis remissa dicuntur peccata, licet ad huiusmodi remissionem tantum debeamus conferre de nostro; cum non possit quidpiam justificationis valorem mereri, nisi quatenus nostrum est. Principium quod inconcussum manere debet, illud est, quod prædestinatio nostra re ipsa debeat Deo, ejusque donum sit. Hæc veritas subsistit, sive cum unis sententiis, sive cum aliis.

2. HUIUSMODI disceptationes eò interduci reducuntur, ut quidquid dixeris, eodem fere recidat. Consentiunt omnes primas ac potissimas partes debere misericordiæ. Quod ubi penitiùs rimantur, opinionem nasci incipit diversitas; nullò tamen inde ad Sectarios redundante emolumento. Docuit quippe Magister noster: ⁵ *Aliqua esse, in quibus inter se aliquando etiam doctissimi, atque optimi regulæ Catholicæ defensores salvâ fidei compage non consonant.* Curiosas indagaciones, subtilitatesque metaphysicas necessarias non esse dixit Celestinus Papa. Dogma ex opinionibus non pendet. Verum hac in re, quod quidem spectat libertatem, utraque opinio eandem æqualiter relinquit intactam. Sufficit advertere, quomodo utraque requirat meritum, quod finè libertatis indifferentiæ non nascitur. Sive credas prædestinationis ad Cælum causam esse merita, aut vicissim horum causam esse prædestinationem, includi utrobique vides merita, & necessariò requiri. Fac itaque voluisse eam Augustinum gratuitam in intentione; dependere tamen eandem ab operibus certò voluit in executione. Prædestinare gratuitum est; non item prædestinationem consequi; totus enim ejus conceptus hic est, quod destinati simus gratis ad consequendam gloriam per merita. Deus nos salvos cupit, sed non nisi

Hæc Opinionum diversitas non jacet Sectarios.

Prædestinatio gratuita est in intentione non in executione.

(1) In Job. c. 28. de don. persev. n. 43. (2) Serm. 110. n. 4. (3) de lib. arb. l. 3. n. 45. (4) epist. 186. n. 16. (5) ep. 194. n. 21. (6) Con. Jul. l. 1. n. 22.

liberè.

liberè. Quid igitur emolumentum ex huiusmodi sententiâ capere possunt Sectarii?

3. Et sanè, qui fieri potuisset, ut Sanctus noster alium admiserit modum prædestinationis, quàm qui rectum usum arbitrii in se contineat; quandoquidem sexcentis in locis vidimus, quàm singularis, ac strenuus semper illius vindex extiterit? Ostendit Pelagianis, & Sempilagianis, inep̃tè illos in prædestinatione nodum quærere; quandoquidem nihil difficultatis deprehenderent in præscientiâ; cum majus libertati ponere obstaculum una non possit, quàm alia. In Tract. de persever.¹ *Eadem sententiâ quâ impugnabatur prædestinationis iisdem pene verbis etiam de præscientiâ Dei, quam certè negare non possunt, pronuntiarî potest.* Ipsi itaque iudicio pari passu procedunt operum præscientiâ, quam fatentur, agnoscuntque omnes non præiudicare libertati, & prædestinationi. Commentans in psalmos loquitur² de potestate, quam tibi dedit Deus, ut si velis, donante Deo ad dexteram sis. Repetit autem, ut ad dexteram sis, id est, ut possis filius Dei fieri, potestatem te accepisse. Libro de persever.³ De ipso autem cursu vestro bono rectoque condiscite, vos ad prædestinationem Divinæ gratiæ pertinere. Affirmavit⁴ hominem, ut tanquam in manu suâ voluntatem, sic habere in voluntate sanitatem (id est salutem) suam. Affirmavit: *Hanc salutem si volueris obtinebis. Honores, & divitias cum requisieris, non continuò habebis: hoc & pretiosius est, & sequitur voluntatem.* In alium psalmum: *Minores electi, majores reprobati: vult & ipse eligi? fiat minor.* Alio libro, post illud Isaïæ: *Tu domus Jacob, quam vocavit, & elegit, non tu, quam dimisit. Quicumque inde venire vultis, ad hanc pertinebitis, quam vocavit; illa cavebitis, quam dimisit.* Docuerat jamtum Petrus: *Satagere nos debere, ut per bona opera certam nostram vocationem, & electionem faciamus.* Pulcher alius Authoris nostri locus hic nobis occurrit: *8 Habeto iustitiam: iustitiam non amittes invito; in thesauro cordis intimo manet; ipsam tene, ipsam posside; inde redimeris à secunda morte; quæ si nolis, ideo non erit, quia illud, unde te ab ista morte redimes, si volueris, erit.* Et postea: *Sanguis Domini tui, si vis datus est pro te, si nolueris esse, non est datus pro te... sanguis ille volenti est salus, nolenti supplicium. Quid ergo dubitas, qui mori non vis, à secunda potius morte liberari, quàm liberari, si vis.*

IX. EN igitur uti (si in memoriam revocare volumus universam Augustini

binis his libris expositam doctrinam) nulla profectò singularis opinio illi magis contraria concipi animo posset, quàm systema illud, quod tot propositiones in se continent & concludunt. Affectant Sectarii zelo suo tanquam scopum præfigere Sempelagianismi profligationem; nec intelligunt se in eundem planè errorem impingere; imo auctiorem multò illum se reddere, & graviolem. Sempelagiani accusabant Augustinum, quod fatum inveheret, unde ipsis responderet: *Non sub nomine gratiæ fatum asserimus, quia nullis hominum meritis gratiam dicimus antecedere.* Non inficiabatur ipse vel efficaciam gratiæ, vel independentiam à Divinâ prædestinatione; negabat autem consecutionem perperam inde deductam. Janfeniani modò ex iisdem antecedentibus conficere se aurumant, non admissam ab Augustino fuisse libertatem indifferentiæ; sed operationum necessitatem, jactantque se, dum ita sentiunt, facere cum Augustino. Verùm hæc est ipsissima fatis admissio. Quia nè Sempelagiani quidem ei imputabant, ex his doctrinis deduci, vim nobis in operando invitis inferri; sed tantum consequi, non esse in nobis facultatem ad oppositum, quemadmodum plane jam contenditur. En itaque eundem tibi errorem; sed eò magis execrabilem, quod eum Augustino tribuebant, non autem ipsi tuebantur Sempelagiani; hi autem & eundem illum adscribunt, & eodem tempore propugnant.

2. QUANTUM itidem non adversatur Augustino, quod prætensam illam necessitatem quæ ex gratiâ, & prædestinatione ad nostras operationes inferitur, in omnipotentia fundent Divinâ? quandoquidem millies jam vidimus, quoties docuerit, Deum nos omnino liberos velle. Quapropter in omnipotentiam ejus injurius est, qui affirmat voluntati suæ Deum gratiâ, & prædestinatione obistere, nec posse nos moveri & prædestinari liberos, relictaque nobis ad utramque partem facultate. Ex eo vel maximè, quod Deus omnipotens sit, oritur, ut tametsi id nos parum intelligamus, nec gratia, nec prædestinatio libertati officiat, siquidem ipse ita voluit, ita decrevit. Nec conturbare nos debet, si id non capimus, cum sit hoc unum ex multis illis aliis,¹⁰ quæ in hac vita sine salutis labe nesciuntur. Præstaret fortassis de multis, quæ Deus aperire nobis noluît, minus acri disputatione contendere. Nosse sufficiat, Deum¹¹ mirabilè

Anima-
versio Po-
lemica.

(1) De don. persever. n. 61. (2) in Pf. CXX. n. 11. (3) de don. persever. n. 59. (4) in Pf. CII. n. 6. (5) in Pf. CXXXVI. n. 18. (6) adv. Judæos. n. 14. (7) 2. Pet. 1. 10. (8) Serm. 344. n. 4. (9) ad Bonif. l. 2. n. 9. & 11. (10) Cont. Jul. l. 5. n. 17. (11) de præd. SS. n. 42.

modo, & ineffabili operari. At quis de-
mum ex Patribus majori energiâ electio-
nis potestatem tutatus fuit, quàm Augu-
stinus? quis acrius propugnavit, non da-
ri peccatum finē illius evitandi facultate;
necessariam nemini gratiam negari, mor-
tem obiisse redemptorem pro omnibus,
& ita porro cetera dogmata propositioni-
bus damnatis ex toto oppositas? Non ex
hoc loco sub censum vocabimus, nè re-
petere necessum sit ea, quæ sæpe jam di-
ximus, aut suò sumus locò dicturi.

RECOLERE solum fas sit, quæ sub sep-
timi libri finem demonstravimus, non
posse nimirum certissimè se Augustini
discipulum profiteri, qui non pro juridi-
cè & decretoriè abolitis opinionibus ha-
bet illas, quas S. Sedes tantà cum solenni-
tate, & post tot præmissa examina rejecit.
Celebre est id, quod scripsit, quando in
causâ Pelagianâ quidam post latam Romæ
sententiam adhuc volebat tricari.¹ Jam de
eâ causâ duo Concilia missa sunt ad sedem
Apostolicam; inde etiam rescripta venerunt,
causa finita est, utinam & aliquando error

finiatur! Tandem igitur aliquando ac-
quiescat, qui inter Augustinianos suum
profiteri nomen vult. Comparatè ad S.
Petrum etiam D. Paulum *posterio rem pasto-*
*rem*² vocavit Augustinus. Supremam ju-
dicandi potestatem in summo Pontifice
residere sæpe commemoravit. Quando
Episcopus Fussalæ sibi subordinatus, atque
ob gravia delicta punitus ad Romanum
tribunal provocaverat, dum Celestino
Papæ rem ut gesta erat exponebat, re-
censuit *exempla ipsâ sede Apostolicâ judican-*
*te, vel aliorum judicata firmante existentia.*³
In materiâ fidei docuit, *ex D. Petri ore*
aufervendum nunquam esse verbum veritatis.
Non est itaque ipsius discipulus, neque
ipsius credit doctrinis, qui jam contendit
ablatum ex ore Petri esse verbum veritatis.
Rescripta venerunt Româ, qui Augustinum
sequitur, fateri etiam debet cum ipso:
causam finitam esse; neque licere citra de-
fectionem à grege fidelium, huic oblecta-
ri. Quid adhuc quævis examen, quod apud
Apostolicam sedem factum est?

(1) Serm. 131. n. 10. (2) in Galat. 1, 15. (3) epist. 209. n. 8. (4) in Pf. CXVIII. Serm. 13. n. 3.

FINIS LIBRI DECIMI.

HISTORIÆ THEOLOGICÆ

LIBER XI.

*Quo demonstratur, doctrinam anteriorum Patrum quoad rem ipsam nihil
discrepare ab Augustinianâ, in dogmate.*

Parum abesset Historia nostra à fine 5ti
Sæculi, si necessum non foret eorum,
quæ ibidem retulimus, veritatem compro-
bare. Quisquis librum quartum, quin-
tum, & sextum ordine perpetuò legerit,
atque idiomatis prioribus quatuor Ecclesiæ
Sæculis usitati similitudinem observaverit,
facile fortassis visâ Augustinianorum dog-
matum relatione, judicaverit offerre se hic
discrimen alicujus momenti; atque uno qui-
dem loquendi genere principium nobis;
alio verò tribui Deo. Eaque re fieri, ut
mutato dogmate alterutra Patrum pars in-
simularetur erroris. Quod cum nec de
antiquâ, nec de Augustinianâ credi possit
traditione, in mentem venire posset suspi-
cari aut ipsius, aut aliorum sententias non
sincerè à nobis fuisse exhibitas. Verum
enimverò id non conjectabit, qui nos non
nostris unquam, sed semper ipsissimis
scriptorum, Patrumque latinorum æquè,

ac latinorum verbis locutos fuisse cogita-
rit. Nihilominus ad solvendum omne
dubium, demonstrandumque simul per-
petuum Ecclesiæ in dogmate consensum,
detracturi jam sumus amphibologias, quæ
ex SS. PP. lectione suboriri facile possunt,
& unde oppositionis hujus apparentia
enasci soleat. Quæ hætenus datâ occa-
sione variis in locis hæc super re innuimus,
non sufficiunt in re tam gravi, tantique
ponderis.

2. ILLUSUM hæc re non nostræ modo
ætati; sed prisce etiam interdum ævò fuit.
Unde de Semipelagianis agebat S. Prosper.¹
Obstinationem suam vetustate defendunt, &
ea, quæ de epistola Apostoli Pauli Romanis
scribentis ad manifestationem Divinæ gratiæ
prævenientis electorum merita proferuntur, à
nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intelle-
cta, ut nunc sentiuntur affirmant. Subsecti-
tis proximè temporibus eorum, qui ex-

(1) Prosp. epist. int. Augg. 225. n. 7.